



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata**

**Wissingh, Anton**

**Coloniae Agrippinae, 1699**

Jesu, Mariæ, Joseph, Triadis Sanctæ Sanctis Pedibus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)



Corda vocat zesus: Corda zoseph. Corda qz Maria  
 Attrahit: ergo animæ Corda sacrate pia.



Quântus amor Corda dñm, quẽ dat con Cordia Divum!  
 O! si Corda jungam Cordibus hisce meum!

Joan. van Sanden





JESU, MARIÆ, JOSEPH,  
Triadis Sanctæ  
Sanctis Pedibus

**V**enerabunda, ac supplicabunda advolvitur *Paupertas Religiosa*. Quæ, quia *Religiosa* est, meritò ad sacrum religionis delubrum properat, religionis augmentum ibidem per amorem VERBI INCARNATI emendicatura (mendicare pauperum est): Quia autem *Paupertas* est, in se ipsa titulum adinvenit hujus sui fiducialis confugii; *Pauper namque ubique jacet; Mendico nullus amicus; Clauditur hospitium, dum pauper cernitur antè.* In hac pœnalitate consortium habere vobiscum, & solatium, gaudet *lata Paupertas*. Hæc proinde se ipsam dedicat, & consecrat vobis, utpote primò dedicata, maximè amata, & summè dignificata à vobis. Mundo oblata ideo vilescit, quia (ut ait *D. Bern.*) nescit æstimare pretium ejus; & merces oblatae solent vilescere ignorantibus. Redit ergò *Paupertas* à mundo neglecta, abjecta, despecta, per commune avaritiæ verbum (*Gott helff euch/ qui pro nobis egenus factus est*) remissa, & repulsa. Hæc mundi sapientia, hoc pauper-



tatis in mundo solatium! Esurit Paupertas; Responderetur à multis: *In domo mea non est panis.* (Isa. 3. 7.) Ipsa ergo divinitus edocta, confidenter pergit in *Bethlehem*, quæ est *domus panis*, ubi nascitur *Panis Angelorum*, ubi æstimatur & taxatur *Paupertatis* pretium: ubi à *Sapientia increata* assumitur, quæ à mundana fatuitate despicitur.

Eja! accurre *lata Paupertas*: &, ne sola *verecunda* compareas, comites tui *amatores* advoca, *Franciscum, Claram, & Antonium*, qui *gloriantur* olim se fuisse *pauperes*, sed *cælum* ingressi sunt *divites*: eorum te *cordibus* inferere: *Noli verecundari* (ait *S. P. N. Franciscus* in *Regula* c. 6.) *quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo*, in hoc *scil. stabulo Bethlehemitico*. Si de *hypocriti* notêris (ut *frequenter* assolet) quòd *ideo* huc accurras, ut *partem auri*, in *magna copia* à *tribus Magis* oblari de *manu gratiosa SS. Virginis Matris Deiparæ* reportatura, tibi ipsi *consulas*, te tē ipsā *exuas*? *Responde stulto juxta stultitiam suam.* (*Proverb. 4.*) *dicens*: immo, *omnino aurum* quæro, sed *tale*, cui simile in *sinu Seraphici Francisci* de repente factum est ex *dono* ejus, cui ipse *presentavit* illud, *scil. ex ætate observantiam paupertatis, castitatis, & obedientiæ*, trium *nummorum* verè *aureorum*; quibus *numquam* aliquid *voluntariæ imperfectionis* *scoriæ* immixtum se *reliquisse* *gloriabatur* hic *S. Paupertatis & sponsus, & Filius, & amicus Franciscus.*

Hoc



Hoc aurum quarit *Paupertas* in stabulo, hanc margaritam in fimo, hoc donum mendicat à paupere parvulo, scilicet *Spiritum paupertatis*, amorem *paupertatis*, qui sola virtus est (teste *S. Bern.*) quem *S. P. N. Franciscus* cum singulari prerogativa ab *Incarnato DEO* optavit, desponsavit, hereditavit.

Per hujus *S. P. N. Francisci*, omniumque *Paupertatis* sanctorum amatorum merita, & amantia corda, Vobis, *ô Trias Sanctissima, JESU, MARIA, JOSEPH*, offero hujus *Paupertatis* religiose vota, & desideria: Vos prosequamini illa, ne redeant otiosa: Vos tueamini, ne maneant fructu vacua: Vos benedicite, ut fiant efficacia mihi, & toti gregi *Sera-phico*, Amen.

